215

Grã tibi et pax per Jesum.

Optime Vadiane, oro boni consulas, quod tuae humanitati
nullas ~~integ~~ interim grates habui, nullaque ad te scripta dedi.
Habeo enim ego et meas occupationes. Verum licet videar desijsse
meminisse tum tui, tum etiam contribulis tui Georgij Vatt
dulcissimi vincularum mearum hospitis, tamen non potui non crebro
cogitare de vobis. Et si nonnunquam scribere vobis licuisset, fuerat
tamen impossibile scripta dirigere. Vuendalinum audio insolentius
agere et efferri plusplurimum. Iactat miser victoriam ante pugnam.
Iactat suum sermonem evangelium esse, qui tam ab evangelio abest
quam ignis a frigiditate. Ego (si faciendum censes) hominem aggrediar
et coram senatu procerum conseram stricto diuini verbi ense. At si
ille lignis, fustibus armisque munitus carnalibus pugnare ~~Calet~~ vellet,
habemus et nos Hectorem, immo Achillem nostrum, qui verbo omnia
olim huiusmodi arma confudit. Ego me experte, Vadiane,
veniam si iubes, modo non sit quam timeam tirannica potestas.
Malo etenim vivo vocis oraculo quam mutis litterulis rem agere.
Verum ne quis me existimet Vuendalinum livore et mendatio
patulo reprehendisse sermone, patulis do rationem. Quam meam
rationem ad te mitto, non quo rem egregie egerim (nihil enim mihi
rarius oratoria institutione et vulgari scolorta conscriptione) sed
quo cerneres me non præcisi rationem habuisse. Ratio inepta est,
non experta. Interim lectam et castigatam quamprimum remittas, oro, ut
cum finis accesserit tuo iudicio aut ad alios pergat ut legatur
aut tota perpetuo pereat. Vive. Dic salue uxori tuae, Amico tuo
Georgio et contoralis ceterisque christianis. Maxime concionatori verbo
evangelio etc. Habe commendatum meum Joannem Schurgsteier.
Datum feria 6. ante Galli in aedibus ~~meis~~ in Meila.

Tuus deditissimus ~~sacellan~~ capellanus
Simpertus Schenck.

Smipertus Schenk
Capellanus.

Egregio Domino Doctori et
Vadiano apud divum Gallum
commoranti suo integerrimo d[omi]no
et in chr[ist]o
fratri